



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. LXIII. Morbus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

distrahatur, oblata moratoria cautio non admittitur. Perez. C. de capiend. & distrah. pign. num. 2.

CAP. LXIII. Morbus.

Axioma I.

In probatione morborum, qui ex saturitate nimia concitari solent. c. ne tales 29. de consecrat. dist. 5. Medicorum placitis est acquiescendum. l. semel. 6. C. de re milit. Bart. in l. contumaciam. §. panam. ff. de re judic. & l. quæstum. num. 6. ff. eod. Bertazol. lib. 1. de consil. decis. 228. in addit. lit. d.

II.

Morbus seu valetudo adversa non est impedimento contractui aut transactioni. l. sanum 27. C. de transact. tutela tamen vacationem concedit si perpetua sit. l. 10. §. ult. ff. de excusat. tut. Hinc podagra & morbi intervalla habentes à magistratu gerendo non excusant. Perez. C. de decur. n. 19. Et si morbus non sit perpetuus, interim datur curator. l. 10. §. fin. de excusat. tut. sicut ægrotis Clericis coadjutor. Excusat denique saltem morbus proprius, non uxoris, parentum, liberorum, l. fin. C. qui morbo. Multa tamen circa hæc iudicis arbitrio committenda. l. 2. §. 7. ff. de vacat. muner. Perez. C. qui morbo n. 1-4. Sed morbus saltem excusat à muneribus corpore, non consilio peragendis, d. l. 2.

III.

Servire nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros: qui cupientes servire propter adversam valetudinem impediuntur. l. cum ber. 4. §. Stichus 5. in fin. de statu lib. itaque & ægris militibus stipendia danda. Perez. C. de erog. milit. annon. n. 24.

CAP. LXIV. Mores v. supra Exemplum.

Axioma I.

Mores sequuntur temperamentum corporis & vena aviti sanguinis & virtutis in liberis præsumitur, arg. l. 31. §. 21. ff. de edil. edict. Menoch. de præsumpt. libr. 6. præf. 58. num. 2. Alphons. Hojed. de Mendoz. de benefic. incompar. part. 1. cap. 23. num. 69. Paris. de Puteo de re milit. lib. 7. quæst. 1. num. 37. Nolden. de stat. nobil. c. 8. num. 66. Sunt autem mores boni Christianorum verus ornatus, cap. fucare 38. de consecrat. dist. 5. qua de causa dicuntur præferri scientiæ, cap. scidulo 12. dist. 38. l. Magistros 7. C. de professor. & Medic. l. 1. C. de profess. in urb. Constantinop. eamque ornare, quia omnes excedunt divitias, l. scire 21. §. pen. ibi neque à facultate ff. de tut. & curat. dat. Proverb. cap. 22. Magenhorst. in not. ad Ord. Cam. Imper. tit. 3. pag. 5. Imò & nobilitati prævalent. l. pronunciarum 46. §. matremfamil. ff. de V. S. Mant. sing. 383. incip. mirabile. Bart. in l. 1. num. 47. C. de dignit. Tiraq. de nobil. cap. 3. 4. & 5. Gail. 2. obs.

95. num. 22. ita è contrariò malos mores hominem vilem efficere, respond. Bald. in l. humilem. ibidemque Alberic. C. de incest. nupt.

II.

Quod non est contra bonos mores, nec contra fidem, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum, cap. illa autem 11. §. fin. dist. 12.

III.

Quæ contra bonos mores sunt, nullam vim habere dicuntur. arg. l. non dubium 5. C. de LL. l. ex eo 4. C. de inutil. stip. l. 1. §. 7. ff. de pos. l. alia 14. §. 1. ff. solut. matrim. l. stipulatio hoc modo 61. ff. de V. O. c. constitutiones 4. dist. 10. Canonista in c. quævis de pact. in 6. & in c. contingat de jur. jur. & ideo ea quæ non sunt boni moris remota à consilio prudenti adjecta testamento videntur, l. fin. in fin. ff. de aur. legat. Zas. ad l. 39. §. consat. ff. de legat. 1. n. 8.

Contra bonos autem mores fieri dicitur aliquid tripliciter, vel natura, vel facto, vel censura. Confer omnino Jafon. 4. cons. 469. n. 8.

Natura: cum juramentum præstatur contra ea, quæ sunt juris naturæ; ut si aliquis juraret, se nolle educare liberos suos, se nolle obedire parentibus: hæc enim sunt per naturam contra bonos mores, & ita intelligi c. non est obligatorium 88. de R. I.

Facto: cum quis jurat se occisurum Titium aut aliud facturum flagitium, ut in l. generaliter 26. & l. si flagitii 123. de V. O. ubi non tantum natura, sed ipsum quoque factum in se turpe inspicitur.

Censura: cum id fit, quod Lex censet esse improbabile, licet natura turpe non sit, & hoc modo dicitur pactum de succedendo esse contra bonos scilicet civitatis in l. pactum 3. C. de collat. Zas. ad l. stipulatio 61. de V. O. Gilcken ad l. 13. Cod. de pact. num. 7. vers. 5.

Quando ergo inferri solet, quod ea, quæ contra bonos mores sunt, juramento convalidari non possint, d. cap. non est obligatorium de R. I. quemadmodum in terminis pacti de succedendo hoc argumento usi sunt. Bart. cons. 72. num. 1. Capell. Tholosan. decis. 452. Curt. Jun. cons. 15. num. 2. poterit hoc verum intelligi quoad bonos mores juris naturalis, non vero juris civilis; in his enim contractus sive pacta juramento validari, asserit Vult. 3. Cons. Marp. 34. num. 148.

IV.

Contra mores dici, & contra bonos mores esse, non sunt eadem. Honthem. lib. 2. de art. Notar. cap. 29. num. 11. Illud enim est generalius & medium inter bonum & malum, atque in utramque partem interpretari potest, & sapius ex sensu cognoscitur, ita quod ubi mores in jure probantur, in bonam partem accipiantur. Unde D. August. in c. que contra mores hominum 2. distinct. 8. mores intelligit sive gentis, sive civitatis, sive legis: Jurisconsulti autem liberius utuntur. Hinc Ulpian. honestiore vocabulo adulteria notans graviores mores nominare non erubuit, c. 6. §. 12. in Epitom. rit. de legib. & morib. exinde iudicium de moribus prodirum, quod non de bonis, sed malis intellexit.